



Johann Philipp Bauermeister

De Systemate Socinianorum Dogmatico

Commentatio Tertia : Pentecostes Solemnia Pie Celebranda Indicit Academia Rostochiensis

Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCCXXXII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015765130>

Band (Druck) Freier  Zugang  OCR-Volltext

PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

ACADEMIA ROSTOCHIENSIS.

INEST:

**DE SYSTEMATE SOCINIANORUM DOGMATICO
COMMENTATIO TERTIA.**

**ROSTOCHII
LITERIS ADLERIANIS.**

MDCCCXXXII.

PHYSIOLOGIA SOLENNIA

THE UNIVERSITY

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA SOLENNIA

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

PHYSIOLOGIA SOLENNIA

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

Physiologia solennia, quae in corpore humano tractatur. In qua de humoribus, de nervis, de sensibus, de motu, de vita, de aetate, de morbis, de ceteris rebus, quae ad salutem hominis pertinent, tractatur. Auctore Johanne Jacobo Wepfero, Medico, et Philosopho. Lugduni Batavorum, apud Johannem Neumannium, 1717.

ANTHROPOLOGIA.

Expositis iis, quae ad *theologiam* Socinianorum pertinent, delineemus necesse est ea, quae in *anthropologia* solent tractari, in qua doctrina, si eam comparaveris cum placitis librorum nostrorum symbolicorum, majorem etiam discrepantiam deprehendes, quam in priore. Contendunt enim, statum naturalem sive naturae conditionem, in qua Adamus creatus fuerit, eandem fuisse, qua post eum homines sint nati atque adhuc nascantur. Negant igitur, corpus protoplastorum aliis facultatibus fuisse instructum, ut adeo immortale per se esset, eorumque animum aliis viribus praeditum, ac quibus posterius gaudeant; ut paucis dicam, *eam similitudinem sive imaginem Dei*, quam nostrates potissimum *justitia* atque *corporis immortalitate* comprehensam esse voverunt ⁽¹⁾, primis hominibus non tribuunt.

(1) Alii *tertiam* partem imaginis *sapientiam* statuunt. At secundum libros ecclesiae nostrae symbolicos haec *justitia originali* continetur, cujus rei certissimum testimonium vide Apolog. Conf. A. I. 52. 53. 54. Nec Socinus unquam in libris suis de *sapientia concreata* agit, et in enumerandis Evangelicorum erroribus (Tom. I. pag. 703 etc.) nullam ejus rationem habet. Ex qua re quominus agnovisse eam sapientiam concreatam colligas, impediunt ea, quae, postquam de tertio errore (hominis ad peccandum pronitate ex illo primo Adami peccato profecta) disseruit, prolata ab eo sunt. „Quidquid aliud Theologi

Hominem jam ante lapsum *natura mortalem* (2) fuisse, argumento esse Socinus contendit, quod ex terra formatus fuerit, deinde, quod, simul atque fuisset creatus, cibis vescendis (3) et liberis gignendis (4) ab ipso Deo fuerit destinatus, quarum rerum utraque cum immortalis natura pugnet. Addit, Paulum, apostolum, 1 Cor. 15, 45. citra ullam peccati rationem, sed primi hominis naturam solam et creationem expendentem, ipsum mortalem fuisse, docere, eique ex altera parte secundum hominem, Jesum Christum, (a mortuis videlicet excitatum et coelestem factum) opponere utpote immortalem (5). „Et sane, si Adamus immortalis creatus fuisset, nihil adtinebat, illi arborem vitae una cum aliis arboribus vescendam dare. Gen. 2, 9. et si naturalem mortalitatem homini peccatum abstulisset, essetque ea propria peccati poena, certe Christus, qui peccatum i. e. peccati poenam, sustulit, ipsam naturalem mortalitatem abstulisset, quod tamen non fecit.“

Sacrae Scripturae autem locos, in quibus, *immortalem* creatum fuisse primum hominem, aperte tradi, vel e quibus

vulgo de originali peccato disputant, praeter reatum hunc necessariae perpetuaeque mortis, quem per propagationem ipsam, sine ulla ipsius peccati imputatione traximus, id omne ut apud ipsosmet incertum omnino et varium, sic humani ingenii figmentum prorsus censendum est.“

(2) Quid hoc significet, ipse Socinus explicat, Tom. II. pag. 345. col. 2. interrogans „quid enim aliud est, natura mortalem esse, quam *naturaliter posse aut debere mori*.“

(3) Hoc argumentum plenissime pertractatur Tom. II. pag. 261.

(4) Quo haec spectent, patefit ex Tom. II. pag. 262.

(5) Tom. II. pag. 263. cf. pag. 348.

id ipsum ratiocinando posse evinci, orthodoxi sibi videbantur, tam artificiose tractant, ut ad stabiliendum dogma aut nihil faciant, aut contrarium confirmetur. Sic contra argumentationem e comminatione *mortis* in Gen. 2, 17. obvia petitam Socinus monet (6), si sacrae historiae verba exacte perpendere velimus, comminatione illa, licet in ea mortis expressa mentio fiat, mortem tamen ipsam vere Adamo decretam non fuisse, sed tantummodo *mala* destinata, quibus in hac vita propter peccatum hominem perpetuo circumdatum esse Deus voluerit. „Nam, sic enim pergit, postquam homo lapsus fuit, explicans quodammodo Deus se ipsum, et quid per mortem intellexisset, perspicue declarans, ait Gen. 3, 17. *Quia parvisti voci uxoris tuae et comedisti de arbore illa, de qua praeceperam tibi dicendo: Non comedes ex ea, maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae, spinasque et tribulos germinabit tibi et comedes herbas agri. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, nam ex ea sumtus es. Quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Vides, mortis non tanquam poenae mentionem fieri, sed *tanquam termini ad quem usque poena duratura sit* et non infligi homini mortem a Deo, nec tanquam aliquid pristinae ejus naturae vel contrarium vel etiam dissimile commemorari, sed solum morti hominem subjectum esse, declarari, tanquam rei, quae ipsius hominis naturae et materiae, ex qua constabat, propria esset eique valde consentanea.“ Attamen in seqq. addit, etiamsi vel propter Pauli auctoritatem, vel, ne nova

(6) Tom. II. pag. 260. col. 1.

quadam prorsus ratione comminationem illam interpretari videatur, concesserit, in ea de ipsa morte agi, non tamen sequi, hominem ante lapsum fuisse immortalem, cum ex hebraici sermonis proprietate nihil aliud significant illa verba *moriendo morieris*, quam, *certissime morieris sive incurres in necessitatem moriendi* (7). — In verbis autem *μη ζηλοῦτε θάνατον ἐν πλάγη ζωῆς ὑμῶν* etc. in cap. 1. libri Sapientiae obviis, quo, quia in hac doctrina divinis scriptis consentaneus creditur esse, propterea ad sententiam juvandam multi utuntur, Socinus, repudiata primum totius libri ad confirmanda religionis nostrae decreta auctoritate, mortis nomine non significari statuit mortem naturalem sive mortalem conditionem, sed vel *aeternam mortem* vel *vitam infelicem* vel *mortem immaturam*, *miseram* ac denique aliqua ex parte *violentam*. Id patere ex ipso verborum initio, ubi auctor homines hortetur ad devitandam mortem; nam mortem eam, quae omnibus dominetur, vitari non posse. Non minus manifeste idem ostendi verbis illis v. 16: *ἀσεβείς δὲ*

(7) Adeoque negat, fructui vitalis arboris eam vim, ut comedentem immortalem redderet, aut saltem in vita in aeternum conservaret, ullo modo datam fuisse. Secundum Socinum ejus ope Adamus tantummodo per *integrum tempus, quod homo vivere potest*, vitam perduxisset, si ad eam pro arbitrio manum porrigere potuisset, et ex ea, quantum voluisset, comedere atque frequenter ea pro cibo uti. Itaque ne Adamus multo longius tempus, quam post lapsum vivere cum Deus voluit, vitam illius cibi beneficio continuaret, antequam vim illius arboris edoctus fuerat, ex horto est ejectus. Tom. II. pag. 340. cf. pag. 299. Qua vero ratione cum hac sententia ultima verba versus 22. cap. 3., quae ei prorsus adversantur, conciliare conetur, vid. pag. 298. col. 2.

ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς λόγοις προσεκαλέσαντο αὐτόν (scil. θάνατον); neque enim impios malis operibus mortem, quae omnibus sit communis, arcessivisse, cum jam inde ab ipso statim Adami lapsu et sic ab ipsius ferme mundi initio in mundum in-
vecta fuisset. — Quod vero dixit Scriptor ille Sap. 1, 14. *deum creasse omnia, ut essent*, id sic Socinus interpretatur, ut longe alia sententia eliciatur, atque quam Sapiens vere expressit. Vocem enim πάντα de *solis hominibus* intelligendam esse censens, illo εἶναι, cum opponatur morti, de qua supra Scriptor egisset, itaque non ei, quae necessario omnibus hominibus subeunda sit, indicari negat *vitam hanc perpetuo retinere* sive *nunquam mori*, sed vel *vitam aeternam consequi* vel *feliciter vivere* vel denique *ad terminum natura constitutum vitam agere nec vi aliqua ante tempus perire*. (8). — Ea denique quae c. 2. v. 25 et 24. leguntur: ὁ θεὸς ἐκτίσεν τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσία καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες, hanc sententiam continere ei videntur: Deum creasse hominem integrum, vel ut esset integer et omni injustitia vacans, proptereaque sui similem; diabolum autem *caedes et injustitiam* in mundum invexisse, quas quidem, qui partibus ejus faveant, si aliis inferre conentur (πειράζουσι) (!) (?). — His, qui ex *imagine divina* in Vet. et Nov. Test. homini tributa corporis immortalitatem derivare malunt, praeter multa alia Socinus op-

(8) Tom. II. pag. 259. cf. pag. 326.

(9) Tom. II. pag. 260 etc.

ponit, easdem Sacras Literas humanum corpus vile, infirmum et corruptibile esse, testari, nec id ipsum in creatione similitudinem Dei adeptum fuisse, sed *totum hominem*. Posse quidem fieri, ut vel animi tantum vel corporis tantum ratio sit habenda, quamvis de concreto Sacra Scr. loquatur; verum tamen inter omnes, qui a veritate penitus recedere nolint, constare, corpus ad Dei similitudinem conditum non fuisse; atque, ad imaginem constituendam immortalitatem non requiri, inde quoque apparere, quod etiam, postquam homo morti penitus sit obnoxius, eam imaginem retinere dicatur Gen. 9, 16. Jac. 3, 9. Soci-
nianis igitur imago divina in longe alia re consistit, nempe in
dominatu rerum omnium, praesertim inferiorum, sex illis die-
bus, quibus omnia sunt facta, creatarum. (10). — At majoribus difficultatibus implicuerunt Socinum ejusque adsecclas loci nonnulli Epistolarum Pauli, apostoli, potissimum is, quo scripsit:

(10) Tom. I. pag. 539. „Dei imago et similitudo *ne in ipsa quidem mente ac ratione*, unde omnis justitia in illum (hominem) derivari poterat, praecipue consistit, sed *in dominatu rerum omnium, praesertim inferiorum, sex illis diebus creatarum*, ut satis patet ex eo loco ipso, ubi primus homo ad Dei imaginem et similitudinem factus fuisse narratur Gen. 1, 26. Nam et imago divina, quam in altero saeculo habituri sumus, in eo constituta est, quod omnibus inimicis nostris et morti ipsi atque inferno plenissime dominabimur, nec aliquid praestantius in Deo est, quam cunctarum rerum dominatus atque imperium. Non potest quidem homo hic in terris imaginem istam divinam habere, nisi alia imago praecedat, id est, *mens et ratio* ejusque usus, quo si hominem spoliēs, tantum aberit, ut caeteris rebus imperet, ut ipse omnium sit *servus*.“ Cf. Cat. Rac. Quaest. 42.

δι' ἐνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος etc. (Rom. 5, 12.). In quibus verbis nomine θάνατος mortem naturalem non intelligi, cum e multis argumentis ⁽¹¹⁾ tum ex eo constare Socinus vult, quod verbi *mortis* sive *moriendi* vel nominis adjectivi *mortuus* in Novi Foederis scriptis, cum tanquam malum mors respiciatur, quod per se Deo vel non placeat, vel placere non possit, *nunquam mortalitatis* vel *mortis naturalis* vis sit atque potestas ⁽¹²⁾; adeoque ex eo, quod Apostolus, ante peccatum mortem ipsam nondum in mundum intrasse, doceat, si quis, naturalem intelligens, immortalitatem evinci posse putet, ineptam ejus fore conclusionem; inde enim solummodo *vivum* sive *non mortuum* fuisse hominem, recte concludi ⁽¹³⁾. Contra Socino θάνατος in illo loco nihil est, nisi *necessitas moriendi* seu *mors aeterna* ⁽¹⁴⁾, quae secundum ipsum *oritur e defectu ejus*

(11) Tom. II. pag. 261.

(12) Tom. II. pag. 331. col. 2.

(13) Tom. II. pag. 331. col. 1.

(14) Quaeritur, utrum necessitatem moriendi et mortem aeternam idem Socinus voluerit esse, necne. Interdum ita loquitur, quasi inter se discrepent, ut Tom. II. pag. 331. col. 1. „Sed quomodo id fecisses, cum verissimum sit, per peccatum *non modo* moriendi necessitatem, *sed* mortem *etiam* aeternam hominibus contigisse.“ (Cf. notam 1.) At Francisco Puccio ipsum vituperanti, quod nihil certi unquam habeat et interpretationi vocis θάνατος, juxta quam necessitatem moriendi significet, aliam eamque diversissimam conjungat dicens *seu mors aeterna*, primo quidem ita respondere videtur, quasi necessitate mor. et morte aeterna res dispaes designentur, procedente tamen disputatione disertis verbis profitetur, eas esse *simillimas*

gratiae, qua Deus, si homo non peccasset, a morte in perpetuum eum conservare, vel mortalitatem eripere vel denique post mortem in vitam revocare potuisset, quo fit, ut naturali morti homines a Deo relinquuntur. Nam, quod mortale est natura, potest tamen non mori. Hanc Socini esse sententiam, in multis quidem Operum ejus partibus paullo obscurius expressam et a plerisque parum intellectam, testimonio nobis sunt duo loci, in quorum altero, postquam *naturalis* mortis *efficientes* causas adtulit, sic scribit: Non potuit igitur peccatum, quod postea fuit, naturalis mortis, quatenus naturalis est, ullo modo causa esse. *Necessitatis* quidem *moriendi* fuit causa non tamen *efficiens*, sed *impulsiva* tantum. Efficiens enim necessitatis moriendi causa fuit divinae gratiae, cujus vi homo, licet natura mortalis, vel a morte conservari ⁽¹⁵⁾ vel immortalis fieri vel post mortem in vitam re-

(pag. 330.), adeoque pag. 333, si res penitus inspiciatur, *idem* plane esse, contendit. Id quod verissimum est, si mortis aeternae nomine non *cruciatu sempiternos*, sed, quod ei placuit, *dissolutionem in perpetuum duraturam* intellexeris, quae (ut Socini verbis utar) *homini sit naturalis*. Propterea in Cat. Rac. ad Quaestionem 45. „quae igitur est horum verborum sententia, quod mors per peccatum introierit in mundum? nulla necessitatis moriendi mentione facta respondetur: Haec, quod Adamus ob peccatum decreto et sententia dei, aeternae morti subjectus est, proinde omnes homines eo, quod ex eo nati sunt, eidem aeternae morti subiaceant.“ Inde quoque lux adfunditur responso ad Quaest. 44. quid porro ad tertium (scil. locum Script. Rom. V, 12.) respondet? Apostolus in eo loco non agit de mortalitate sed de *morte ipsa*.“

(15) Quod pugnare videtur cum iis, quae eadem de re disputans subjungit Tom. II. pag. 335. col. 1. „etiamsi homo non peccasset, quod cum

vocari poterat, omnimodo privatio, ad quam poenam homini infligendam Deus peccato ipsius hominis impulsus fuit, atque ea ratione peccatum causa necessitatis moriendi existit (16). Altero loco (17) haec continentur: Omne quidem mortale sive non immortale est morti obnoxium, sed non *penitus* morti obnoxium. Potest enim, quod mortale est, licet morti sit obnoxium, non mori. Quod autem ita mortale est, ut morti sit *penitus* obnoxium, id ut moriatur necesse est. Et haec est, quod ad mortalitatem adinet, *praecipua differentia* inter nos et Adamum, antequam peccaret, quod ille mori quidem poterat, nisi divina gratia conservatus fuisset, mori tamen eum prorsus necesse non erat; cum deus nondum ejusmodi gratia illum omnino privare decrevisset; nos vero non solum mori possumus et naturaliter debemus, nisi divina gratia conservemur, sed etiam *propter peccatum*, iis exceptis, qui deo fidem habent, omnes ut moriamur prorsus necesse est. Nam qui Deo confidunt, moriuntur quidem, non tamen propter peccatum et necessario, sed propter humanam ab ipso creationis initio conditionem.“ — De interpretatione loci 1 Cor. 15. vide hujus libelli pag. 5.

Quam alteram similitudinis s. imaginis Dei partem esse orthodoxi statuunt, *justitiam originalem*, quamque in eo fuisse

ne ad tempus quidem mori ac dissolvi (Deus) permisisset, quidquid Literarum SS. interpretes hac de re dicant vel sentiant, id nobis nulla ratione vel apparet vel apparere potest.“ Aegre quoque illud conciliaveris cum omnibus argumentis, quibus supra Adami immortalitatem impugnavit.

(16) Tom. II. pag. 330.

(17) Tom. II. p. 274. 2.

plerisque placet ⁽¹⁸⁾, quod primus homo rationem appetitui ac sensibus ita dominantem habuerit eosque regentem, ut nullum inter ipsam et illos dissidium esset, eam Sociniani Adamo nequaquam tribuentes naturalem ejus perfectionem solummodo in eo ponunt, quod *vitio et omni labe vacuus libera ad malum non minus, quam ad bonum faciendum voluntate* praeditus fuerit; ex eo enim, quod Adamus deliquisset, satis apparere, appetitum ac sensus rationi dominatos fuisse. Atque Sacrae Scr. testimoniis adversariorum dogma probari non posse dictitant; namque ex *imagine divina* primo homini tributa istam justitiam derivantibus Socinus primum opponit, non ad *omnia*, quae in Deo sint, similitudinem referre licere, deinde, si homo Deo similis in justitia conditus fuisset, impeccabilem creatum fuisse; talem autem non fuisse, ex eo patere, quod vere peccavisset. Praeterea, si in eo imago divina constitisset, quod Adamus justus creatus esset, certe post peccatum imaginem illam deletam fuisse, et tamen etiam post lapsum hominem ad Dei imaginem factum dici esse. — Nec majoris momenti ea verba ei sunt, quibus *Deum vidisse cuncta, quae fecisset, esse valde bona*, S. Scriptura testatur Gen. 1, 15. Nam ibi non de animi bonitate neque de justitia sermonem esse, sed de *aptitudine et convenientia* ad id, quod Deus antea sibi proposuisset, adfirmat; translationem enim esse ab opificibus, qui opus suum jam perfectum contemplantur, ut, si consilio respondeat, approbent, sin minus, aut corrigant aut abjiciant. Adhaec

(18) *Aliae justitiae originalis* explicationes acute refutatae sunt Tom. I. pag. 529. col. I.

monet, non ad singulas res ipsas a Deo creatas, sed ad universa opera sex illis diebus facta verba illa referenda esse, ut, quod ad hominem adtineat, non haec sit sententia, Deum vidisse, *ipsum hominem esse bonum*, sed *bonum esse, quod homo a se creatus fuisset talis, qualem eum antea Moses descripsisset*. — Sed ex iis, quae de naturali Adami perfectione a Socinianis obtinentur, facile colligas, locum Eccles. 7, 30. ita explicari, ut tantummodo *quidquam pravi ab initio in homine fuisse* negari videatur. — Denique argumentationem, qua, quia Deus cuncta perfecta fecerit, hominem *justum* creatum fuisse, concludunt, ita diluit, ut, cum justitia perfectio *non naturalis* sit, sed *voluntaria*, non potuisse eam hominem nancisci, urgeat. Caeterum *naturalis* perfectio Adamo concessa, qua re, auctore Socino, comprehensa fuerit, supra a nobis est expositum (19).

Quod ad statum hominum *naturalem* post lapsum adtinet, ex iis, quae hactenus sunt enarrata, consequitur, nihil eo fuisse immutatum nec *peccatum originale* agnosci a Socini adseclis

(19) Non posse hanc, nisi improprie, justitiam dici, sic demonstrat: Non potest autem ista perfectio justitia, nisi improprie, appellari, quatenus scilicet omnis injustitia adhuc abest, quod tamen rursus et ipsum minus proprie dictum est, cum proprie ab homine injustitia abesse dicatur, si, injuste agendi occasione saepius sibi oblata, nihil injuste egerit. Quod certe de Adamo, cum primum creatus fuit, dici non potuit, sed nec etiam toto illo tempore, quod transgressionem divini mandati praecessit, cum injuste agendi nulla (quod sciamus) illi occasio praebita fuisset (!), praeter illam, quam non omisit et sic divinum mandatum est transgressus.“

potuisse (20). Contra idem *liberum arbitrium*, quo a Deo Adamus fuerit instructus et quo etiam post lapsum sit gavisus (21), posteris ejus adtribuunt (22). Concedunt quidem, adesse quandam *ad peccandum proclivitatem s. concupiscentiam malam*, tamen eam neque in *omnibus* hominibus esse (23), neque a primi parentis lapsu, sed a corrupto crebris peccatis hominum statu repetendam clamitant (24). S. Scripturae effata, quibus

(20) Cf. Cat. Rac. Quaest. 423. „Peccatum originis nullum prorsus est, quare nec liberum arbitrium vitiare potuit.“

(21) Cat. Rac. Quaest. 422. „Etenim certum est, primum hominem ita a Deo conditum fuisse, ut libero arbitrio praeditus esset. Nec vero ulla causa subest, cur Deus post ejus lapsum illum eo privaret; ac neque justitia Dei admittit, nec etiam inter poenas, quibus Adae peccatum punivit Deus, ejusmodi poenae ulla mentio extat.“

(22) Tom. I. pag. 541. „Ex iis, quae supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium esse, si modo id verum est, quod omnes concedunt, et ratio ipsa manifeste docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse.“

(23) Vid. Tom. I. pag. 541. col. 1.

(24) Tom. I. p. 541. col. 1. „Caeterum cupiditas ista mala, quae cum *plerisque* hominibus nasci dici potest, non ex peccato primi parentis manat, sed ex eo, quod humanum genus frequentibus peccatorum actibus *habitum peccandi* contraxit et se ipsum corrumpit, *quae corruptio per propagationem in posteros transfunditur*. Etenim unum illud peccatum per se non modo universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habuit.“ Quid sibi voluerit Socinus, cum corruptionem *per propagationem transfundi* diceret, hoc certissimum fecit pag. 542., ubi scriptum est, „eam corruptionem ad posteros per *seminis* propagationem transmissere atque etiamnum transmittunt.“

adducti orthodoxi ex peccato protoplastorum *universo* generi humano innatam esse concupiscentiam arbitrantur, Socinus aut ita interpretatur, ut de *voluntaria*, non naturali, concupiscentia ⁽²⁵⁾ vel de *actionibus voluntariis* ⁽²⁶⁾ (*peccatis*) agere videantur, aut, non tam de natura hominis cujuscunque sermonem esse, quum *de eo, quod in plerisque fieri contingat* ⁽²⁷⁾, demonstrare studet.

(25) Hunc in modum explicatur Gen. 6, 5. 8, 21.

(26) Haec sententia, Socino auctore, inest in ll. Job. 4, 17. 18. 19. 14, 1. 2. 3. 4. 15, 14. 15. 25, 5. 6. Quo sensu memorabilis ille locus Ps. 51, 7. sit accipiendus, ipse dubius haeret, primum enim, comparato Ps. 58, 4. et Jes. 48, 8., istum loquendi modum pro figurato et hyperbolico habens *peccata exaggerari et efficacius vituperari* putat, dein vero verisimile esse declarat, Davidem ad excusandum peccatum suum ita locatum fuisse et in humana fragilitate commemoranda hyperbole ista fuisse usum, *quasi* peccatum homini rei quaedam plane naturalis esset, tametsi David non de homine, sed de se ipso tantum loquatur. Posteriorem interpretationem arripuit Cat. Rac. Quaest. 425.

(27) Sic ab eo intelligitur Rom. cap. 7.

Haec hactenus. Nunc enim indicimus Vobis, Commilitones carissimi, dies festos Spiritui in Apostolorum animos effuso ad memoriam sempiternam ab ecclesia consecratos. Speramus autem, Vosmet ipsos Vobiscum esse reputaturos, quanta beneficia eo in genus humanum sint collata atque adhuc conferantur. Agite igitur Deo Optimo Maximo debitas gratias omninoque ita sentite, ita Vos gerite, ut idem ille Spiritus in Vestris quoque animis vim exserat salutiferam. Valet.

P. P. Vigiliis Pentecost. MDCCCXXXII.

enus. Nunc enim indicimus Vobis,
 Commemoratissimi, dies festos Spiritui in
 Apostolorum effuso ad memoriam sempi-
 ternam a consuetudine consecratos. Speramus autem,
 Vosmet ipsos cum esse reputaturos, quanta
 beneficia ecclesiae humanae sint collata atque
 adhuc conferuntur. Agite igitur Deo Optimo
 Maximo debite omninoque ita sentite,
 ita Vos gerite, ut illi Spiritus in Vestris
 quoque animis valeat salutiferam. Valete.

P. P. Vigilis Pentecostes CXXXII.

